

ing.
19



D. H. F. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

IV A 219.

SIGNAT. elb15CCCXIII.

n. R.

TRACTATUS

Brevis & perspicuus

De

PUNCTIS

VOCALIBUS HE-

BRAEORVM;

*An videlicet eiusdem sint anti-
quitate, cum XXI. literis, siue
consonantibus?*

In lucem editus

à

M. NICOLAO OELSCHLEGELIO,

Lobenstemensi, Scholæ provinc.

Ruthenica Collegæ.



Gera ad Elystrum, Typis Hæredum

Martini Spiessij. 1614.

TRAGTATVS

PFLANZLICHES

VOCABULARIUM

BARBONVM

editio altera auctior et correctior
per Joannem Baptistam
Barbonum

In lucem editus

in officina typographica

Joannis Baptistae Barboni

in Urbis

1774

1774

1774

1774

1774

1774

1774

1774



VIRO

Reverendo & Clarissimo,

Dn. FRIDERICO GLASERO,
Ecclesiae Geranae Pastori, & dioecesi-
um Ruthenicarum Superintendenti
generali vigilantissimo.

*Amplissimis item & prudentissimis
Viris*

Dnn. Consulibus, Iudicibus,
Syndicis & Senatoribus Rerum publ.
Geranae & Lobensteinensis,
dignissimis.

Vt &

Consultissimo atq; Spectatissimo Viro

Dn. NICOLAO KÖNTZERO, Iudicis
provinc. Gerano dexterrimo.

Nec non

Viris integerrimis & humanissimis

Dn. NICOLAO De Schmidt,
&
Dn. BALDVINO Conradi,
& Mercatoribus primariis. } Civibus

Dominis, promotoribus &
fautoribus honorandis

D. D. C.

M. Nicolaus Oelschlegelius, Scho-
lae Provinc. Collega.

TRACTATUS DE
Punctis Hebræorum, quod
non æquè vetusta sint ac ipiæ
XXII. literæ,



*N*uper disputatione qua-
dam publice in Gymnasio nostro
provinciali habitâ inter alias
quæstiones è lectionibus meis or-
dinaris, (Hebraicis) desumptas, & illam
à multis variè agitatam & pertractatam:
An videlicet puncta Hebræorū sint eiusdē
antiquitatis cum literis sive consonanti-
bus? Vel: An ad ipsam Hebraicæ scri-
pturæ in codice veteris testamenti essen-
tiam ac integritatem necessariò pertine-
ant, sicut consonantes, seu literæ XXII &
proinde cum illis ab initio semper in usu
fuerint? Ventilandam proposui. Quæ qui-
dem quæstio præ ceteris exercitij gratia, exa-
minabatur.

Et quia in affirmativam pedibus e-
unt nonnulli ex Theologis, placet contrari-
am sen-
am sen.

HEBRAEORUM.

am sententiam negativam uberius in gratiam discipulorum meorum explicare.

Ac initio quidem Matthias Flacius Illyricus clavis scripturae parte altera tract. 6. pag. 629. Ita scribere sibi permittit: Mea est sententia, vocales, seu (ut vocant) puncta una cum consonantibus jam olim (fortasse adhuc ab ipso met. Adamo) inventa, omnesq; sacrarum litterarum scriptores integre, dilucideq; scripsisse, non solum consonantibus, sed & vocalibus, eosq; qui contraria sentiunt, non solum falsa sentire sed & conscientijs, Ecclesiaeq; quae tantum certitudine Verbi DEI edificatur, perniciosas.

Hanc opinionem suam etiam rationibus sive argumentis, ac primo quidem aspectu ponderosis atq; speciosis confirmare conatur, quae, priusquam ad alia progrediar, libet accuratius examinare.

Primum argumentum desumptum est ex Platonis Philebo, & petitum ab inventione litterarum ac scripturae, cum hac praefatione: Sive ille (Plato) serio id dicat, ut ab alijs historiam per manus accepit, sive ratione ipsa, cogitationeq; hunc ordinem naturae maxime convenientem, verisimilemq; animadvertit, Sequuntur verba.

vel sensus verborū græcorum: Ægyptius ille Theuth, vel, quicumq; tandē ille fuerit inventor artis scribendi, observatione diligēti & accuratā animadvertit, alias esse vocales, quæ per se sonum edant, & alias consonantes, quæ per se sonū non edant, sed vocalibus consonent. Et hinc colligit characteres vocaliū aq; esse antiquos atq; consonantium.

R. Plus est in conclusione, quàm fuit in præmissis: hoc enim tantummodo sequitur, differre vocales Hebraorum à consonantibus; id autem, peculiare videlicet vocalium notas statim ab initio fuisse adhibitas, nullā vi consequentia concluditur. Licet enim græcorum & latinorum vocales (quod adducit Illyricus) simul cum consonantibus scribi necessario ceperint, minimè tamen in Hebræa lingua necessarium fuit, id quod infra satis luculenter patebit.

Cæterum narratio illa de Teuth Ægyptio talis ferè est. *Vsus literarum sempiternus fuit, uti natural. histor. lib. 7. ostendit Plinius, & in Timæi principio, nec nō 3. Legum Plato ipse significat. Sed certū quidā literarum modi à varijs sunt inventi. Zoroaster cum sacerdotibus suis propriam se-*
orsim

HEBRAEORUM.

orsim à vulgo habens literaturā, in signorū
siderumq; cælestiū characteribus literas in-
stituit. Mercurius, eius exemplo commo-
tus suis sacerdotibus in animalium & plan-
tarum figuris dedit literas, ne vulgus Theo-
logia esset conscium. Floruit autem in Ægy-
ptij Naucratia, ut Plato scribit in Phædro,
quidam ex his quos Ægyptij ut Deos vene-
rati sunt, cuius nomē apud illos Teuth, apud
græcos Hermes Trismegistus, latini hūc Mer-
curium vocant. Eius tempore Thamus The-
barum Ægypti Rex erat, ubi Jupiter cele-
bratur Hammon. Huius Thami familiaris
fuit Mercurius. Hammonis autem Dei af-
flatu Arithmetica, Geometria, Astrono-
miam invenit, & usum præterea literarum
induxit, tanquam sapientia adminiculum,
memoriaq; subsidiū. Quanquā Thamus pro-
pter scriptorū confidentiā, cogitationisq; ne-
gligentiam obliuiosos homines literarum u-
sum putaverit effecturū, & ad inventionē
negligentiores, utpote nō suo, sed superiorum
ingenio fretos. Obest enim plerumq; memo-
ria literarum usus. Nam ea, quæ in scriptis
reposuimus, veluti custodire desinimus, &
ipsā securitate dimittim⁹. Hæc in Phædro.
At verò cum vocis infinitatem consideraret,

sive quis DEUS, sive divinus vir aliquis,
 DEUS, quia DEI lumine DEO proximus.
 Divinus, quia, ut in Sophista dicit, nullus
 hominum DEUS dicendus. Divinus vero
 est appellandus Philosophus, quem & demo-
 nem vocat, hoc est, Sapientem. Cum, in-
 quam, divinus ille & Sapiens Philosophus,
 Mercurius Trismegistus vocis infirmitatem
 animadverteret, velletque ad unam vocem de-
 scendere, medias quasdam species vocum
 investigavit. In prima specie vocales po-
 suit, reliqua in specie eas posuit, quae vocem
 quidem per se non habent, sed casum aliquem
 & tensionem inferunt literis aliis addita,
 quas consonantes vocamus. Marfil. Fici-
 nus in Pileb, Platonis lib. I. c. 29. Bessa-
 rion Cardinal in calumniat, Plat. lib. I.
 cap. 2. Iustin. Philos. & Martyr. in admo-
 nit. gent. Coel. Rhodigin. antiq. lect. lib. 22. cap. 15. Herodorus lib. 5. Polydor.
 Virgil. de invent. rerum, cap. 6. Verum
 hoc omni veritati consentaneum est, literas
 non ab illo Theuth demum, sed longè antè,
 vel ab Abrahamo unà cum siderum & nu-
 merorum scientia in Aegyptum illatas esse.
 ut ex Iosephi antiquit. lib. I. cap. 15 colligi-
 tur.

H E B R A E O R U M.

tur, reperias verò ante diluvium à Patriar-
chis, uti idem Josephus alibi narrat, vel de-
niq, ab ipso DEO primis parentibus mon-
stratas.

II. Argumentum desumptum est à
parvulorum institutione: Ita namq, pergit
Ithyricus: Quod si & statim à principio vo-
cales cum consonantibus inventæ non essent:
tamen ipse quotidianus usus, parvulorumq,
instructio eò docentes deduceret, ut velut
adjumenti causa notulas aliquot excogita-
rent, quibus pueros monebant, hîc tale ali-
quid, istic aliud, ibi rursus aliud subintelli-
gendum, quæ postea paulatim exculta, cum
quid diligentius scribere voluissent, in usum
adhibuissent. Inde Enthymema tale ex-
strui potest,

Tyrones citra vocalium adminiculum
lectionem discere non potuerunt. Ergò sem-
per in usu fuerunt.

R. Et hic defectus est in consecutione:
Radices enim Hebræorum non usq, adeò sunt
multæ, sed facile numerabiles, & tritissi-
mæ in communi sermone, ideoq, nulla exegit
necessitas, ut vocalibus punctis signarentur,

A 5

sed

sed absq; omni negotio facili labore tyrones ad usitatum pronunciationem adsue fieri potuerunt non aliter ac apud grecos & latinos abbreviaciones usu addiscuntur.

III. Nec est omnino credibile, inquit, in tanto regno, in tam variis politicis, Ecclesiasticisq; negociis in tanta praesertim fertilitate ingeniorum, non futuros aliquos fuisse, qui etiamsi non extarent, tamen propter infinita dubia, quae ex illa non satis clara scriptura oriri poterant, circa Davidis, Salomonisq; tempora aliquas notulas invenissent, quibus res clare signateq; exprimerent, tamque varia dubia, quae quotidie orirentur, tollerent.

R. Sed hac ratio invertenda potius est: Quod enim feliciora fuerunt ingenia, & quo notior ac usitator fuit lingua Hebraeus usus quotidianus, eo minus laboriosam scribendi rationem per puncta supposita adhibitam fuisse certum est: Quod enim fieri potest per pauciora, non opus est pluribus, habet vulgatum Philosophantium axioma.

IV. Videmus, infert, vel in latinis,

vel in

vel in graecis scriptis, ubi cum nulla litera
desint, omniaq; expresse notentur, quam
crebro de authoris sententia dubitetur.
Vel Juristarum tam varia legum interpre-
tationes, singularumq; propemodum dictio-
num glossationes docere nos satis possunt,
quam infinita dubia, erroresq; ex eo scriptio-
nis genere oriri potuissent. Proinde ne-
cesse est, aut à principio statim vocales unà
cum consonantibus inventas, aut certe non
multò postea, ipsa necessitate sic exigente,
ac veluti $\chi\epsilon\lambda\epsilon\gamma\omega\gamma\delta\omicron\upsilon\varsigma$ ad rei inventionem,
& non demum annis 2.6. post secundi tem-
pli destructionem (ut isti fomniant) à qui-
busdam homunculis Tiberitis.

R. Hic quoq; metus inanis est, quan-
doquidem Hebraea lingua ita est compara-
ta, ut in verbis modorum, temporum nu-
merorum, personarumq; discrimen, in no-
minibus formarum, casuum numerorumq;
diversitas non punctis vocalibus, sed literis
servilibus à mediocriter exercitato depre-
hendatur, & ut paulo post pluribus ostende-
tur, ex defectu punctorum nihil de genuina
Scripturae sententia deperiat.

V. Illud

V. Illud, quod Christus dicit, Matth. 5. v. 18. Luc. 16. v. 17. *Legis neq; jota, neq; apicem unicum perituum, cum sit Hebraicè locutus, non video, de qua re alia possit intelligi, nisi de notis, quibus vocales, distinctiones, accentusq; in Hebraico sermone notantur. Non enim est dubium, quin de Hebraica scriptura, non græca dixerit, cum & lex scripta esset Hebraicè, & ipse Hebraicè, vel Chaldaicè, quod idem ferme est, sit locutus.*

R. Hanc interpretationem ipse Flacius in annotationibus in cap. 5. Matthæi refellit, cum ait: Non autem hic de literulis non perituris, sed de sensu agitur, cui necesse sit satisfieri. Et textus per se satis est perspicuus, Christum asserere, ne minimã quidem particulã scripturæ Prophetica perituram, quæ non impleatur. Sed libet etiam audire Theologum illum incomparabilem D. Martinum Chemnitium Harmon. Evangel. lib. 3 cap 51. Ita differentem: *Mandata DEI constant pluribus verbis, verba constãt literis, litera multis apicibus. Christus igitur jurejurando affirmat, mentem esse, ut quæ in lege mandata sunt, sive*
magna

magna sive parva videantur, omnia fiant, & quidē ita perfectē, ut facilius sit cœlū & terrā transire, quàm non dico unū mandatū, non unum verbum, non unam literam, sed ne unum quidem litera apicem in lege cadere, quem non necesse sit impleri. Hoc modo perfectissima impletio totius legis describitur. Quod enim Matthæus dicit Iota perire, hoc Lucas dicit apicem cadere, phrasi scriptura, quā verbum DEI dicitur cadere in terram ab impijs, qui blasphemant promissiones & minas DEI irritas non impleri. Nominat autem Christus jota & apices. Jota enim in Hebræa lingua minutissima litera est, quæ sæpe etiam per pleonasmum, tanquàm otiosa videtur adjecta. Kēgia vero significat minutam virgulam sicut Plutarchus vocat κεργία ὑψαμυῖος fastigiū seu extremitatem lineæ, in modum corniculæ (à cornu enim nomen habet) exertam. Si igitur vel maximè detur, ut per jota literā Jod, quæ minima est, & per κεργία apicem seu punctum notari, nondum tamen sequitur, Christum de punctis vocalibus loqui, cum ex Hieronymo & vetustis constat

Hebræos

Hebræos apices distinctivos, commata &
 cola denotantes, nec non Raphe, id est lineam
 jacentem transversam, post quamlibet vo-
 calem mobilem literis Begad Kephath, im-
 posuisse. Et hoc ipsum Raphe index fuit præ-
 cipuus tenuoth, motionum sive vocalium pro-
 tyronibus, ut alio vix opus esset. In eundem
 verò locum Matth. 5. ita commentatur Er-
 asmus, cuius verba, cum ad rem præsentem
 non parum faciant, lubet adscribere. Cum
 probatum sit, Iesum Hebraicè locutum fuis-
 se, dubium non est, quin quod hic jota vocat,
 ea sit litera, quæ Hebræi jod appellant, omni-
 um minutissima, quæ sic adijcitur nonnun-
 quam, ut propemodum supervacanea vide-
 ri queat. Sed quid apicem dixit? cum ne gra-
 eorum quidem vetustissimis mos fuerit api-
 cibus uti, & serò apud Hebræos receptum sit
 abbreviatiuncularum notas adscribere, qui-
 bus tamen hodie non utuntur, nisi fortè sum-
 mæ elementi fastigium apicem vocavit, aut
 eam notam (cholem) quæ nonnullis addita
 facit O. Sed hic sermo καὶ ὑπερβαλὺν vide-
 tur dictus: neq; enim laboratur de literarum
 apiculis, cum constet non pauca etiam volu-
 mina intercidisse, quorum nomenclaturam
 adhuc

adhuc videmus in canonicis voluminibus, sed asseveratur unicum jod, & minutissimū punctum in lege eo loco apud Deum haberi, ut priusquam pratereat vel cadat, quin impleatur, facilius cælū & terram transiturū. Sensus igitur est uti loco citato Chemnitius ait, Legi non satisfieri particulari & mutila obedientiā, sed necesse esse, ut omnia usq; ad minimum apicem perfectissimè impleantur. Et eadem est sententia, sicut Moses denunciat maledictionem non illis tantum, qui non in magnis, sed qui non in omnibus permanserint; quæ scripta sunt in libro legis, & sicut Iacobus inquit; Quicumq; totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Ideo Christus addit: Quisquis magna (juxta vestrā opinionem) mandata servaverit, ex illis verò, quæ vos minima reputatis, vel unicum transgrediendo solverit, illā persuasione quasi Deus non curet, non habebit locum in regno cælorum.

VI. Illud autem (inquit Illyricus) maximū est, longe q; gravissimū, eius q; rei causā præcipuè de hac materia volui dicere, quod si hanc hypothesein ponere diabolus Ecclesiæ permiserint, nonne tota scriptura nobis fiet omninò incerta? Et paulò post:
Unum

Vnum exemplū non à nobis excogitatū, sed quod alioqui omnibus est notissimum, proferemus, quod est in Genes. cap. 3. Ipsum concalcabit caput tuum. Vbi quā utilis doctrina olim sublata fuerit, siue illud ex punctorum inopia accidit, siue, ut magis arbitrator, postea factum est ab aliquo, vel sciolo, cui textus futurus dilucidior, vel & supersticioso, qui diuæ virgini gratificari voluerit. Nam & ipse Josephus cum eundē locum græcè recte habeat; tamen in latina versione est corruptus.

R. Hoc nimis est frivolum. Nam hoc ipso argumento Bellarminus lib. 2. de verbo DEI cap. 12. evincere conatur legendum esse in genere feminino Ipla. Ita enim sonant ipsius verba: Editio vulgata variè habet: Quidam enim codices habent ipse, quidam Ipla, & proinde contendit, non esse improbabile legi debere Ipla, neq; esse hanc depravationem Papistarum: Nam etiam si multi codices Hebraici habeant Huh; tamen legi unum, in quo erat scriptum Hih, id est, ipsa, ac præterea remotis punctis, illam vocem Hebraicam Hih, posse interpretari

tare

rari ipsam, nimis rudis est, qui nescit. Verum etiamsi hoc loco Bellarminus ogganiat, se in uno exemplari, quod fortasse Benedicti est Aria, legisse vocem fœmininam Hih; at tamen hanc depravationem in gratiam Pontificis commissam esse testimonio omnium aliorum exemplarium liquido monstratur. Deinde nisi pronomem esset generis Masculini, non potuisset illi apponi verbum Masculinum leschubecha; sed adhibendum fuisset Teschubecha. Tertio affixum relativum in verbo Teschubennu, etiam est masculinum, quod respicit precedens semen mulieris, non ipsam mulierem, cum Deus ait: Tu serpens compunges ei (viro) calcaneum. Accedunt denique testimonia LXX. Interpretum, qui ὁ προσελυχὸν pronomem ἀνδρὸς adhibuerunt, itemque chaldaica paraphrasis, & Hieronymi in Hebraicis super Genesin questionibus, & omnium orthodoxorum interpretum. Videatur Gelnerus in Genes. cap. 3. quæst. 19. *Authoritates.* Claudii Mar. Victor. lib. 1. in Genesin. Alcim. Aviti lib. 3. carm. cap. 6. Chrysostr. homil. 17. in Genes. Augustin. lib. 2. de Genesi

B

contra

contra Manich. cap. 19. & lib. II. de Ge-
 nesi ad literam cap. 36. Ambrosii lib. de
 fuga seculi cap. 7. Gregorii lib. I. moral.
 cap. 38. Eucherii item Ruperti, bedæ,
 Rabini, Strabi, Lirani, ac deniquè Bern-
 hardi, quas profert Iesuita, quod attinet,
 ita respondet Gesnerus dicto loco. Mendaci-
 sime Bellarminus auctoritatem Chrysosto-
 mi ex homil. 17. pro se adducit, cum ipsi planè
 sit aversa, sicut omnium Græcorum, qui
 versione LXX. interpretum usi sunt. Etsi
 vero Augustinus lib. II. de Genesi ad lite-
 ram, & alibi nec non Ambrosius, alijq; lati-
 ni retinuerunt usitatam lectionem, in ge-
 nere fœminino. nuspiam tamen Maria hoc
 tribuerunt, quod diabolum vicerit. Bern-
 hardo equidem, & reliquis, quorum atas
 in densissimas Papatu tenebras incidit, ve-
 niam libenter damus, auctoritatem non
 majoris hac in parte, quàm cæterorum
 Monachorum facinus.

Ceterùm exempla quod attinet que
 ex scriptura sacra profert Iesuita, ubi cum
 nominibus fœmininis conjungatur pronomi-
 na aut

na aut verba generis masculini, ut Ruth. I. vers. 8. Esth. I. vers. 20. Eccles. 12 vers. 5. Ea causam Iesuiticam nihilo meliorem faciunt: Nam illis in locis Enallage generum est manifesta, & extra omnem controversiam.

Hic verò utrum locum habeat enallage disceptatur, vel in locis allegatis fœminarum diserta sit mentio, quibus adjunguntur verba vel affixa masculina: Sed hic Belarminus nondum probavit, quod in descriptione operis istius divini, quod est, caput diaboli confringere, ulla nominetur fœmina. Neq; opus est, pergit Gesnerus, ut de grammatica pluribus contineamus, cum res ipsa nobis palmam tribuat: Namq; diabolum superare, & homines ipsius tyranni subjectos in libertatem aeterna beatitudinis vindicare non competit ulli homini, aut ulli creaturae, Solius CHRISTI filij DEI opus est. Ille venit, ut destrueret opera diaboli. I. Iohan. 3. Videantur loca, Elaiæ 63 I. Tim. 2. Act. 4.

His itaq; remotis rationibus oppido

B 2

infirmis

infirmis & fragilibus ad propositum evincendum porro videndum est, quibus argumentis & fundamentis contraria nitatur sententia, quod nimirum puncta vocata non sint eiusdem antiquitatis cum literis.

Ad hoc ostendendum prima ratio est haec, quod licet illa imperitis lingua Hebraica, qui radices nondum intelligunt, neque dum serviles à radicalibus discernere norunt, ad lectionem & inflectionem verborum & nominum summe sint necessaria, non tamen absoluta & καθ' ὅλην haec sit necessitas, quae ipsam lingua integritatem attineat, & quam nemo etiam peritorum lingua carere queat. Ut res fiat perspicua, collatio instituaturs lingua sanctae cum latina. In hac ad genuinum cuiuslibet vocabuli sensum percipiendum, verborum inflectiones, & nominum declinationes, aliarumque partium tam declinabilium, quam indeclinabilium differentes attendi oportet. Jam vero tota verborum inflexio apud Hebraeos principaliter in literis consistit. siquidem praeteritum, Benoni, Paul, Macor, Gerundia, Futurum & praeterea in singulis temporibus & modis numeri ac personae,

sona, genusq; masculinum & femininum
 adminiculo servitium literarum dignoscun-
 tur, ut parum admodum intersit, num syllaba
 aliqua motione magna vel parva insigni-
 atur. Eadem quoq; ratio est in nominibus,
 ubi similiter literæ serviles distinguunt nu-
 meros, casus genera citra punctorum admini-
 niculum. At verò in latina & græca, aliisq;
 lingvis res ita est comparata, ut omnis illa
 conjugandi declinandiq; variatio principa-
 liter in vocalibus hereat, nullaq; illis lingvis
 sint literæ serviles, discrimina declinatio-
 num, & conjugationum, casuum, tempo-
 rum, numerorum representantes. Mirum
 proinde divina sapientie opus est, quod De-
 us, traditurus verbum suum humano generi
 per Prophetas, in ea lingua communicavit,
 qua nulli fermè depravationi est obnoxia.
 Nam quantum discrimen oriatur in lingua
 latina & græca, si p vocali longa ponatur bre-
 vis, pro A. usurpetur E. vel O. vel V. res pla-
 nior & notior est, quam ut demonstratione
 indigeat. Sed Hebraicæ dictiones de ge-
 nuina sua significatione nihil fermè amit-
 tunt, sive breves, sive longas vocales ad-
 hibeas.

hibeas. Ratio & causa hujus rei est, quod
narrowa potestas & significatio cujusq; He-
braici vocabuli defixa est in themate seu ra-
due, & deinde in literarum servilium ad-
ditione. Ac si quando fit (quod haud ra-
rò accidit) nulla servilium accessione
discerni nomina à verbis, ipsa nihilominus
sermonis coherencia & constructio omnem
difficultatem attendentibus aufert.

II. Patet hoc ipsum ex nominum pro-
priorum diversa lectione. Nam LXX.
& latinus interpres, nec non Hieronymus
pleraq; nomina propria Patriarcharum, Re-
gum, Pontificum, Sacerdotum, Prophe-
tarum, urbium, locorum, regionum longè ali-
is vocalibus & punctis enunciant, quàm in
Masorethico sive punctato exemplari le-
guntur. Conferantur saltem illa capita,
in quibus Catalogus nominum recensetur,
ut Genes. 5. 10. 36. 46 & locis aliis in-
numeris. Expendatur praterea explicatio
Hebraicorum nominum tradita ab Hiero-
nymo. & omnium accurratissimè perscripta
à Bened. Etio Ariamontano in operis re-
gii tom. ult. & deniq; adhibeatur lectio
nomin-

nominum priorum usurpata ab Immanuele Tremellio, & Francisco Junio per universum Biblium codicem, in quo pauca reperientur appellationes Hebraeae, quae non quoad vocales à pronuntiatione Hieronymi & LXX. plurimum distent. Ut ex multis unicum in medium adferam quod punctata Biblia & Masorethe legunt Ierusalajim, ubi LXX. perpetuo ἱερουσαλήμ, & Hieronymus Jerusalem reddidit. Item pro Abadia Hieronymus legit Abdia, & sic consequenter. Hoc igitur evincit, illam punctorum vocalium rationem, quam hodie Grammatici quidam nimium urgent, ne tempore quidem Hieronymi (qui licet saepe occasione, imò necessitatem habuisset loquendi de ipsis, nullam tamen prorsus eorum facit mentionem) nec etiam aetate LXX. interpretum 300. annis ante CHRISTUM natum in usum fuisse.

III. Constat id ipsum etiam è locis, quae in N. T. à Christo & Apostolis adducuntur, in quibus Hebraeae dictiones exprimuntur, sicut in LXX. habentur, & ratione vocalium ab Hebraeis punctis multum discedant.

Conferatur enim Catalogus seu Genealogia Christi Matth. 1. & Luc. 3. cum nominibus Hebraicis, & apparebit discrepantia: Nam, ut alia omittam, Hebraei secundum sua puncta pronunciant Iisrael, Iacob; sed Christus & Apostoli Israel, Jacob: Sic Hebraei dicunt Molcheh; sed Christus, Apostoli & Evangelista Moses. Hebraei dicunt Holchianna; sed Evangelista מושׁה. Quare si quis audeat LXX. & Hieronymo ignorantiam punctorum imputare & asserere, quod eo tempore extiterint puncta, interpretes autem neglexerint, quid ille respondebit ad Christi, Apostolorum, Evangelistarum pronunciationem. Num Christus etiam punctandi rationem ignoravit? Si dicatur Christum & Apostolos sincerè pronunciasse non quidem inficias ibo: Christum enim Syra dialecto usum esse evincunt plurima: Interim tamen certum est, nec semper eum Syre pronunciasse; sed in multis purè Hebraicè, nec istam pronuncianti formam, quæ in illius verbis deprehenditur, ad amussim punctis vel Syrorum vel Hebræorum respondere.

IV. Puncta distinguentia consonantium

zium

tium varietatem, qualia sunt dages, quae literam duplicant, & apex, qui Schin dextrum atq; sinistrum, sive Schin & Sin distinguit, aq; vetusta esse oportet, ac puncta vocalia, nisi Rabini santes Grammatici ostendant, haec illis esse vetustiora, quod ad Calendas facient gracas, & nonas Hebraicas. Iam vero certum est tempore iudicum non fuisse observatum discriminis illud punctulum in sinistro, vel dextro cornu literae Schin. Nam Iudic. 12. v. 6. reliqui pronunciant Schiboleth. Sed Ephraim hoc signo dignoscuntur ab aliis, quod ore blaso dicunt Siboleth. Quod si tunc in usu fuissent puncta super litera Schin, quae sunt hodie, non opus fuisset litera Samech, qua ibi Ephraonitica pronuntiatio exprimit Siboleth. Eo proinde tempore nondum natum erat Ephraoniticum Sin, vel Schin, ut vocamus, Sinistrum, sed eius loco adhibebatur Samech.

V. Iosephus lib. 7. antiquit. cap. 10. scribit, Davidem Psalmos composuisse, partim trimetro versu, partim pentametro, deq; libro Iobis, & Threnis, quod mensura carminum sint compositi. Quae vero illa versuum fuerit conditio, quales pedes, &

B S

Syllaba.

Syllabarum, qui numerus nemo hodie est, qui expluare possit. Huius autem ignorantia causa certè non est in consonantibus, nisi libros carmine conscriptos dicamus valde esse corruptos. Oportet ergò, ut in vocalium numero & quantitate ac qualitate versetur. At si iisdem hodie vocalibus uterentur nostra punctata Biblia, quibus usus est David, Job, Jeremias, Salomon, Moses, quò fieri ambo posset, ut non ilico etiam ratio carminum nobis innotesceret. Cum autem è nostris vocalibus, nec pentametram, nec trimetram versuum rationem ac dimensionem constituere possimus, manifestum utique est, aliam fuisse vocalium rationem illis temporibus, quam ea est, quæ à Rabinis nobis obtruditur.

VI. Et si autem opponant nullam linguam solis constare consonantibus, citra vocalium Symphoniam? Attamen plus inferunt, quam hoc axioma prabet: Solis sanè consonantibus nulla constat lingua, neq; hebraea: Sed non queritur, nunc de linguæ integritate & constitutiõe in sese sed de eius scriptiõe: Consonantes equidem nudas
absq;

absq; vocalibus sonum non edunt; Sed utrū
 neesse sit, in Hebræa lingua vocales unā
 cum consonantibus scribi, & figuris sive
 punctis exprimi, id est, de quo queritur.
 Id quod negatur, indeq; emergit tale ar-
 gumentum: Certum est tum ex vetustissi-
 mis codicibus, tum ex Rabinorum &
 Thalmudistarum scriptis, tum etiam ex ho-
 dierno usu quod Hebræi Chaldæi, Arabes,
 Syri omnia sua scripta absq; punctis confice-
 re consueverint, & adhuc soleant. Ergo
 punctorum vocalium apud veteres nullus
 erat usus. Si enim hodie, postquam lingua
 rū istarū usus desit esse publicus, in traq; mi-
 sea & Scholas conclusa sint, nihilominus me-
 diocriter periti à laboriosa punctandi mole-
 stia in scribendo abstinent supervacaneam
 putantes illam diligentiam, quid igitur cau-
 sa esset, ob quam veteres quibus linguarū
 istarum domestica & publica usurpatio erat
 notissima & tritissima, punctis affigendis
 sese occupasse, credendum sit.

VII. Si puncta nota fuissent veteri-
 bus Hebræis, quī quæso factum, quod nulla
 illorum uspiam mentio, nusquam vestigium
 ullum, cur non in numeris adhibita, si ut
 conso;

consonantes, cur non in fronte librorum, versusumq; constituta eo ordine, quo consonantes in aliquot Psalmis & aliis scriptis Bibli-
cis? Cur deniq; nusquam nominata? Tam al-
tum itaq; de ijs silentium arguit, puncta tan-
tam ad scripturarum germanam & veram
interpretationem indagandam necessitatē
non habere, quantam punctalis scientia di-
dascalī comminiscuntur. Huc accedunt te-
stimonia veterum & recentium, tam Chri-
stianorum, quam Iudaorum, qui uno ore fa-
tentur, veteres Hebraeos absq; punctis scri-
psisse. Petrus Galatin. lib. cap. 8. de verit.
religionis Catholicæ. CAPNIO inter-
rogat: Quis Biblia punctavit? Respon-
det Galatinus: Moses, (ut ipse optime
nostri) legem non punctavit: unde eam, quam
Judei in Synagogis cum veneratione tenēt,
sine punctis scriptam habent. Nec aliquis
etiam ex Prophetis librum suum punctavit:
Sed posteriores & legem & Prophetas & ha-
giographa punctarūt. Quidam igitur ajunt
Ezram codices sacros primūm punctasse. Alij
verò non Ezram, sed alios quosdam duos,
qui post Ezram fuerunt, quorum alter Ben-
Nephtali,

Nephtali, alter Ben. Asser appellatus est, primos literis sacris puncta apposuisse affirmant: Quorum quidem opinio communior est. Iohan. Reuchlinus lib 3 de arte Cabalistica pag. m. 741. Scribit ex Rabinorū traditione: Simon aperte vera praduas, ferè namquè est aliud nihil, quod plus erranter ad sensu cuiusq; retorqueatur, quàm oracula, tametsi non id semper malitiâ fit; sed plus saepe ignorantia; quis enim deditâ operâ piaculum in sacra committeret? Ita Saul quondam verbi ambiguitate deceptus erravit ab oraculo, cum promississet DEUS, Exod 17. Delebo memoriam Amalek, credens si mares abstulisset, satis fieri præcepto, quoniam Zakar, masculinum significaret: Deus autem magis deleri memoriam Amalek. per hoc vocabulum Zeker, voluit quod memoriam quoq; designat: Nondum enim erat scripturae distinctio per puncta & accentus, quæ ab annis Ezra primùm cepit. Ergò Zajin, Kaph, Relch, id est, Zeker, vel Zakar sine punctis & memoriam, & masculinum enuncians Sauli occasionem dedit ruina. Ad hæc Marranus: Contigit & Italus

Italis & græcis simile de verbo $\phi\omega\varsigma$, quod
 & hominem significat, & lumen. Unde
 quondam Saturnaliorum cultores amphilo-
 giâ decepti hominem aliquem quotannis
 Saturno immolarunt, cum æquè sacrificium
 illud juxta oraculum accensis luminibus fie-
 ri potuisset, ut placaretur Saturnus. Sic
 enim gens illa tam stulta postremum Hercu-
 le Magistro resipuit. Ita Capino: Verum
 quod Rabini perhibent, Saulem ignorantia
 punctorum, in errorem esse lapsum id puti-
 dissimum est figmentum: Nam textus,
 Exod. 17. v. 14. Satis perspicuus est, Deum
 de omnimoda abolitione Amalekitarum
 verba facere, non de masculorum tantum
 sæde. Ac si Saulus scivit, masculos esse de-
 lendos, cur Agagum conservavit: Quid
 vero opus erat Saulo in punctorum dubitatio-
 ne herere cum clarissimum haberet divina
 voluntatis interpretem Samuelem, qui totâ
 Amalekitarum gentem extirpare iubet.
 Imo si obscuritate legis lapsus esset, annon pu-
 tas ipsum sic excusandi causa id ipsū produ-
 cturum fuisse, cum audiret, se ob eam culpam
 regno privari. Sed quid opus est pluribus,

CUM

cum Deus ipse per Samuelem ostendat, Saulem non lapsum esse ignorantia genuinae scripturae, sed malitiosa inobedientia, quam Samuel nominat idololatriam, & magiae speciem. Etsi autem hoc de Saule figmentum per se est falsissimum & stolidissimum, interim tamen constat, ijsorum Rabinorum testimonio liquere puncta vocalia non esse vetus, sed recens inventum. Hieronymus tomo ult. librorum Epistolarium in Epistola ad Evagrium: Quia amantem inquit, interrogas, & universa quae didici, fidei auribus instillanda sunt, ponam & Hebraeorum opinionem, & nequid desit curiositati, ipsa Hebraica verba subnectam: Vmalchizedek melech Salem hozi lehem vajain vehu chohen leel elion vajebarchehu vajomar baruch Abram leel elion Koneischamajim vaarez: ubaruch el elion ascher migen Zadecho bejadecho, vajiten lo maeser michol. Et Melchizedek Rex Salem protulit panem & vinum. Erat autem Sacerdos DEI excelsi, benedixitque illi, & ait: Bene

Bene

Benedictus Abram, Deo excelso creavit
 caelum & terram. Et benedictus Deus altis-
 simus, qui tradidit inimicos tuos in manus
 tua, & dedit ei decimas ex omnibus. Tra-
 duntque hunc esse Sem primum filium Noë,
 & eo tempore, quo ortus est Abraham ha-
 buisse aetatis annos trecentos nonaginta.
 Quod postquam pluribus ostendisset, ita tan-
 de subjungit: Salem autem, non ut Iosephus,
 & nostri omnes arbitrantur, esse Hierusa-
 lem, nomen ex graeco, hebraicoque compositum,
 quod absurdum esse peregrinae linguae
 mixtura demonstrat, sed oppidum juxta
 Scythopolim, quod usque hodie appellatur Sa-
 lem, & ostenditur ibi palatium Melchizedek,
 ex magnitudine ruinarum veteris operis
 ostendens magnificentiam, de quo in poste-
 riore quoque parte Geneseos scriptum est. Ve-
 nit Iacob in Socoth id est in tabernacula
 & fecit sibi ibi domos atque tentoria, & trans-
 iit in Salem, civitatem regionis Sichem,
 quae est in terra Chanaan. Considerandum
 quoque est, quod Abrahæ à caede hostium re-
 vertenti, quos persecutus est usque Dan, quae
 hodie Pameas appellatur, non de via Hieru-
 salem

Salem, sed de oppido Metropolis Sichem, in itinere fuerit: de quo in Evangelio quoque egimus. Erat autem Johannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia aquae erant multa ibi. Nec refert, utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis per raro utantur Hebraei, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur.

Elias in praefat. Masoreth. Hammasoreth scribit: Rabbinus urbis Tyberiadis praeteris in lingua sancta exercitationes puncta vocalia invenerunt, & legi addiderunt, anno ab ultima templi devastatione 430. hoc est, anno Christi 476. Idem sentit Sixtus Senensis in sancta Bibliotheca, lib. 2. & 3. ubi ait: Verisimilius videri puncta longe post tempora constantini reperta esse opera & solertia R. Hamman. & R. Cassi, authorum Thalmudicae doctrinae, qui primi punctorum rationes ostenderint.

Si quis obijciat: De punctis sententiam scripturarum fere incertam; Eitriam auctorum, maxima apud Pontificios, qui hoc

C

ipsum

ipsum urgent, auctoritatis, contraria sententia occurrit: Nam Galatin. lib. 1. de arc. Cathol. ver. cap. 8 recenset tres modos quibus sacra scriptura ab excaecatis & malitiosis Judaeis in odium Christianorum (quod tamen factum non est) corrumpi potuerit. Primus est depravatio Sophrim, scribarum, qui perperam quoad literas scribere potuerint. Alter Ticcum Sophrim est non literarum mutatio, sed punctandae praesumptio: Et tertius denique Ticcum Sophrim, id est, correctionis scribarum modus est textus neglectio atque dimissio, & marginalium sive glossarum Kezi, ut vocant additio. Sed quoad secundum, ac medium, qui videlicet per diversam punctationem evenire queat, paucissima allegat exempla, et ea ipsa, qua adducit, non in vocalium, sed ipsarum consonantium variatione discrepantiam pariunt, in sensu interim nihil ferme dissonum habent. Benedictus autem Arias in praefat. libelli de ratione atque usu Masoreth, hac de re ita scribit: Cum vero Hebraei

brai omnes atq; Chaldaei, atq; alij etiam, qui
harum nationum linguas tamen degeneres
retulere, ut Arabes & Syri libros, scriptaq;
omnia sua sine vocalibus scribere consueve-
runt, atq; adeo sacra omnia tum legis tum
Prophetarum & Psalmorū volumina, hanc
formam quondam tenuerint, nihil miran-
dum esset, si vel temporum iniuriā, vel hu-
jusmodi tempestatum, in quas populus in-
cidit, calamitate, vel quorundam librario-
rum injuria aliquid vitii in scripturam sa-
crorum voluminum irrepserit, quod postea
per doctissimos viros, qualis Esdras, & post-
ea Gamaliel, Joseus & Eleasarus aliq;
magni nominis fuere diligentes, ut sartum
rectum redderetur, fuerit procuratum,
ita ut cum huius linguae usus non jam
vulgaris, ut antea, sed inter doctos tan-
tum contineretur, magno studio com-
muniter prospectum fuerit, ut sacra lectio
quā integerrima, incorruptissimaq; con-
staret. Ex horum autem virorū vel collegio
vel institutione per discipulos posterioribus

seculis excepta & exculca illum utilissimū
 thesaurum, ad nostra usq; tempora conserva-
 rum extitisse arbitramur, quā quod queren-
 ribus varias Hebraicorum Bibliorum, quae-
 cunq; unquam fuere, lectiones abundē & fi-
 deliter tradat Maloreth, id est, traditio vel
 traditionalis est appellatus, idemq; tantā di-
 ligentiā olim, tantā curā conservatus est &
 sedulitate, ut nullam vel minimam in va-
 rijs exemplaribus discrepantiam admisisse,
 vel à diligentissimo & perspicacissimo alicui-
 jus ingenio & iudicio deprehensum unquam
 fuerit. In quo duo maxima & cognitu di-
 gnissima atq; a morosos calumniatores re-
 darguendos opportunissima animadvertenda
 est, quae divinam providentiam sacrorum
 librorum integritati perpetuō assistentem
 probare possunt. Alterum est ferē omnium
 librorum varietatem, sive ea ex depravati-
 one antiquae pronuntiationis, sive ex libra-
 riorum injuria aut inscitia profecta fuerit
 in sola Grammatica nonnullarum dictionum
 scriptura consistere, eamq; in punctis, id est,
 vocalibus iis, quae vicinitate quadam ita
 contigua sibi sunt, ut ab unius recta pro-
 nuntiatione

pronunciatione aberrantibus, in aliam ferè
 deflectendum sit, id quod non huic modò,
 sed ceteris omnibus lingvis accidere, imò usque
 venire videmus. Apud Græcos enim α & η
 & ι. adeo sibi affona voces erant, ut quæ
 ab aliis per α & η pronanciabatur & scribe-
 bantur ab aliis per η & ι prolata, scripta quæ
 constarent. Ex quo forte ille græci sermo-
 nis varietates, quas dialectos dicunt ema-
 narunt. Videmus etiam, quotidiano quæ ex-
 perimento observamus, unius lingvæ homi-
 nes, qui alienam pronunciare etiam diligen-
 ter studioseque curant: tamen in hac vocalium
 vicinitate a germano sono quàm sæpissimè
 deflectere. Italus cum Hispanicum sermo-
 nem imitatur, pro Sennor signor sonat &c.
 Quin & in una eademque lingua, in eadem
 urbe (ut & è patria lingua exempla ad fer-
 re possem si opus esset) varij variè pronunci-
 ant: Et tamen quanquam hac in vocalibus
 varietas vel vitio vel consilio admittatur,
 dum consonantium præcipuarum expressa
 constet vis, nullum in significatione detri-
 mentum accipitur. Facile namque cognoscit
 Italus, quid sibi significet Hispanicus, quando

dicit Sennor vestro, ut interim omittam
 quæ plurima latini de suarum vocalium
 affinitate & transmutatione etiam nota-
 vere, ut de Sylla, sulla, vertumno, vor-
 tumno, vestrum, voftrum, &c.

Hæc autem, quæ in hoc genere produ-
 cta sunt, eò omnia tendunt, ut ostendatur
 nullum ferè esse in sacrorum librorum lectio-
 ne detrimentum sententiæ, ubi varietas
 tantum in punctorum vocalium vicinitate,
 aut etiam in quantitate consistit, ut cum
 pro longa brevis, pro brevi semibrevis in
 ipso lectionis contextu scripta est, pro A.
 simplici A. compositum & contra legitur,
 ubi litera duplex, id est, affecta puncto da-
 ges, pro simplici scribitur, Ita nimirum
 Benedict. Arias.

Eorundem verò opinionem, qui di-
 citant inextricabilem errandi portum
 aperiri, si subtrahantur puncta, inter alia,
 quæ scribit Bellarminus lib. 2. de verbo
 DEI cap. 1. & 2 sub finem capitis 2. ita
 refellit: Ceterum non tantis sunt mo-
 menti

menti eiusmodi errores, ut in ijs, quae ad fidem, & bonos mores pertinent, scripturae sacrae integritas resideretur: Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quae sensum aut parum aut nihil mutant. Errores autem, qui ex punctorum additione acciderunt, nihil omnino veritati officiant: puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant: Itaque possumus si volumus, puncta detrahere & aliter legere. Isthac Pontificiorum testimonia adduco, non quod illorum sententiam standum, in eaque acquiescendum existimem. Quid enim auctoritatis tribuerem hostibus divinae veritatis: Nam Laeolistica gens cum nihil prorsus relinquunt intentarum, quod istis ad illud facere videtur, ut ostendant scripturam esse ambiguam, obscuram, incertam, mutilam, ferre tamen nihilominus coguntur, quod Bellarminus, quod Sixtus Senensis, & si qui sunt apud eos reliqui Hebraicarum literarum periti

*constanter asseverant, punctorum additio-
nem, destructionem, mutationem, nihil
prorsus de scriptura sensu genuino immi-
nuere. Quamobrem fratrum Jesuiticae Sectae
calculo enervatum est argumentum quo il-
li nos & verbi caelestis integritatem oppu-
gnant. Et hæc ex B. Luthero, Chemni-
tio, Gesnero, &c. Pro punctorum
novitate astruenda in medium
afferre volui.*



NE PAGELLÆ MA-

*nerent vacuæ, placuit ex disputatione nu-
per habita posteriores duas quæstio-
nes adjicere.*

Quæ-

QVAESTIO.

De vocabulo *LEMARBE*
cum Mem finali sive clauso
in medio dictionis, *Esai.*, 9. ver-
su 6?

Duplex Mem habent Hebraei, aper-
tum, quod in principio & medio dictio-
nis tantum positum reperitur, & clau-
sum, quod non nisi in calce dictionis
scribere solent. In vocabulo autem *LE-*
MARBE, *Esai.*, 9. v. 6. cum praeter mo-
rem in medio sit clausum, absq; my-
sterio hoc factum fuisse haudquaquam
credendum est, ut enim in libro *Sabbatho*,
cap. *habbone* dicitur, Mem clausum ver-
bum clausum, vel rem clausam, atq; oc-
cultam significat. Igitur voluit per hoc
Esaias a prudentibus intelligi, impiis ve-
ro occultum fieri. Ideo in libro *Sanhe-*
drin, cap. *col.* *Israël* fertur, quod cum *R.*
Tanbuma quaereret quanam esset ratio?
Statim in illa hora exivit filia vocis, id est,
revelatio, sive vox de caelo, sic dicens:

C S

Reze

ReZili, reZi li, hoc est, secretum meum
 mihi, secretum meum mihi. Quod
 exponens *R. Selomo* ait: Deum dixisse,
 hoc secretum de Messia adveniu me-
 um est: Attamen ut prisca Iudæorum
 Spiritu Sancto illustrati dixerunt, per
Mem hoc in loco clausum multa arcana
 designari, & primò quidem tempus ad-
 ventus Messia prefixum. Prophetia nam-
 que ista eodem tempore ex ore Esaiæ e-
 gressa est, quo idem Propheta propheta-
 vit: Ecce virgo concipiet, &c. Anno igi-
 tur quarto regni *Achaz Regis* prophetia
 hæc facta est, à quo tempore si numeres
 annos 600. (*Mem* enim clausum sexcen-
 tenarium significat) non procul aberis à
 tempore nativitatis Christi. Sed hanc ra-
 tionem nonnulli non posse consistere
 existimant, quam etiam nos suo relin-
 quimus loco. Alterum arcanum sive my-
 sterium est, quod in medio eiusdem di-
 ctionis *LeMARbe* matris Messia nomē.
 quod est *MARIA* palam innuatur. Et
 tertium denique est, nasciturum esse fi-
 lium ex virgine clausa, vel occulta *Almah*.

Esa. 7.

*Esa. 7. vers. 14. sine virili semine, præter
rerum seriem, videatur Petr. Galat. de ar-
canis Catholicae veritatis, lib. 3. cap. 2. lib. 4.
cap. 19. lib. 7. cap. 13. & 14. Item Philippus
Morn. de veritate relig. Christ. cap. 29.
pag. 473.*

QVAESTIO.

*De vocabulo Jehovah, ubi si-
mul de Christo, quod ve-
rus sit DEVS?*

Gentes ferè omnes præcipuum DEI
nomen quatuor modò literis enunci-
ant, quæ res citra diviniorem aflatum
non videtur potuisse contingere: Nam
quem nos DEVM nuncupamus: Aegy-
ptij Theut: Persæ dicunt Syre: Mago-
rum disciplina Orsi, Græcis θεός appel-
latur, Arabibus *Alla*, Assyriis *Adad*, non-
nullis *Zimi*, IESV autem salutare gen-
tibus nomen ab Angelis accepimus:
Iam apud Hebræorum gentem cele-
bre est

bre est quatuor literarum **DEI** sacrum nomen **IHVH**, quod inde tetragrammaton dicitur, & alia voce exprimitur, quæ *Adonai* est, & scribitur *ADNI*. *Johann. Franc. Pic. Mirand. de rerum pronotione lib. 7. cap. 6. Cal. Rhodig. lib. 32. antiq. lect. cap. 9.*

Vocabulum autem **IHVH**, quod hic potissimum in quaestione est, soli Deo competit, & duobus modis in scriptura sacra usurpatur. 1. Ἰσοδῶς essentialiter. 2. Ἰσοπακῶς personaliter, Ἰσοδῶς, *Deut. 6. ver. 4.* Audi Israël Iehova DEUS noster Iehova unus est; Ἰσοπακῶς *Gen. 10. vers. 24.* Iehova pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à **IEHOVA**. His præsuppositis ita argumentor.

Cuicunq; competit nomen **IEHOVA**, ille est verus **DEUS**.

Christo competit nomen **IEHOVA**. probationis loco sufficiat unicum illud *Jerem. 23. ver. 6.* *Veze-schemo ascher-jikreo Jehova Zidkenu,*

Ergo

Ergo Christus est verus DEUS.

*Videatur passim Petrus Galati-
tinus de arcanis Cathol. veri-
tatis, & Johannes Reuchlin.
in libris de arte Cab-
balistica.*

FINIS.



49

M. R. A. E. O. R. N. M.

Ergo Christus verus Deus

Veritatis pagina Petrus Galat.

titus de arcibus Carol. cert.


titus. Et Johannes Evangelium.

en livres de arte Ca-

belgica.


M. R. A. E. O. R. N. M.






14









B.I.G.

Farbkarte #13

TRACTATUS
Brevis & perspicuus
De
PUNCTIS
VOCALIBUS HE-
BRAEORVM;

*An videlicet eiusdem sint anti-
quitatis, cum XXI. literis, sive
consonantibus?*

In lucem editus

A

M. NICOLAO OEL SCHLEGELIO,
*Lobenstemensi, Scholae provinc.
Ruthenicae Collegae.*



Geræ ad Elystrum, Typis Hæredum
Martini Spiessij. 1614.

